

proximas utrinque terras, per augustum interfluens mare. Quæ tamen angustiae latiuscule pateant. Euripum autem eum dicimus, qui angustior magis, ac magis sit. Qualis est ad Thracium Bosporum, cuius D passuum tantum est latitudo. Apud Abydum maior est, septem nimirum stadia. Ad Chalcidem vero Euboee, utrumque littus ponte iungitur. Fretum vero latius est, quale Siculum XIII ut aiunt Pass. M. latum. Herculeum vero, M. Pass. VII Magellanicum ubi minimum sex. At neque in Thracio, neque in Abydeno, nulla in Herculeo, nulla item in Magellanico, fit maris talantosis seu libratio. Fit tamen in Chalcidico, fit in Siculo, sed varie. Nam in Siculo, bis tantum in die reciprocari dicitur mare. In illo vero septies. In Liburnia vero ad Ausserum oppidum, angustissimus est Euripus, isque manufactus, ideoque cava appellatus. In quo plusquam vicies mare conspeximus quotidie reciprocari, dum ibi aliquando per plures dies, observandæ huius rei causa, ociosi sederemus. Est autem longitudo eius circiter passuum quinquaginta, latitudo X passus non attingit, profunditas pedum circiter VII. Reciprocationis huius atque librationis causam, quam Aristoteles in Chalcidico, diutius speculando, et non inveniando, mortem sponte operiit, nos minore longe, et speculatione, et desperatione reperire, non desperare, non desperamus. Mare ad ora Euripi cuiusque utrinque latius panditur. In ea latitudine, profunditas maris quoque maior quam in Euripo, et maior aque moles. In mole maiore, maior etiam virtus. Hæc virtus in calore est, mari innato. Calidum vero mare esse etiam Aristoteles fatetur. Itaque mare suapte natura calidum et humidum non fervere non potest. Fervendo spiritus in se generat. Spiritus vapores tollit. Vapores dum attolluntur, aquam etiam attollunt. Quæ res Lebethis ad ignem appositi, et bullientis exemplo fit manifestissima. Tumidius, atque altius factum mare, brevem in Euripo fundum incurrit facile. Aqua enim omnis, uti vidimus, e sublimiore, locum petit inferiorem. Indeque in partem alteram excurrit. At ibi alium suo similem fervorem, similesque spiritus, vapores similes, et similem nanciscitur tumorem. Qui ad incursum illius parumper cedit, mox resumptis viribus eum repellit. Repulsus autem retrocedit in Euripum. Ille sequitur, et in alteram excurrit partem. A qua et ipse repellitur. Idque fit non aliter ac duo arietes, qui frontibus se se incur sant, et recursant. Aut athletæ duo, dum luctantur, alter alterum per vices, et motat, et suspendit, et librat, non tamen alteri cedit alter. Nam, quam assignavit Aristoteles causam, in maris gravitatem, et lancis similitudinem, ridicula videtur. Mare enim in suo loco, ex suomet dogmare, grave non est. Gravitatis ergo cum in mari non sit, librationis maris et talantoseos causa esse nequit. Modus ergo hic est perpetuæ huius reciprocationis in Euripis. Causa vero, perpetuus fervor, a perpetuo atque ingenito mari calore. Cur vero Chalcidicus septies tantum in die naturali, Ausserensis vero plusquam vicies currat, atque recurrat, in causa esse remur, quod in illo, mare ab utroque ostio, et latius sit, et profundius, aut quod in Euripo altior sit aqua, ita ut tanta moles difficiliter et assurgat, et cursu se se cieat et recursu. In Ausserensi vero, mare utrinque nec tam latum, nec tam profundum, et in ipso brevissimum sit revera. Ut tam parva mole, facilius, atque ideo sæpius motum cieat. Quando vero ventorum vis fortior, ab utraque parte, mare concitat, in unam tantum, in quam vis impellit, fluit partem. Hæc igitur misti huius motus, et modi sunt, et causæ.

Nunc ad naturales maris pergamus motus. Eorumque historiam primo, deinde causas perquiramus.

Mirabamur olim dum pueri natari disceremus, quid causæ esset, cur dum pedes in prima littoris brevissima aqua, sentiremus placidum quandam ipsius circa pedes circuitum. Et dum stare videretur, accederet tamen, et pedes obtegeret, et iterum recederet, pedesque nudaret. Effectum hunc eundem, multis annis postea, apud Strabonem cum ipsius causa, legimus. Eius verborum, quoniam ad propositam quæstionem pertinent, huc afferamus sententiam, ne semper Græca sine necessitate obtrudamus. Sententia eorum igitur, hæc est, libro primo scripta.

“Sicuti enim animalia continuæ spirant et respirant, eodem modo et mare ex se, et in se